

47  
in admirationem raptus, haud immeritò exclamo: *Quam dives es in misericordiâ, quam magnificus in justitiâ, quam munificus in gratiâ, Domine DEUS noster! non est, qui similis sit, tibi, munerator copiosissime, remunerator æquissime, liberator piissime: gratis respicis humiles, justè judicas innocentes, misericorditer salvas peccatores.*

Summo huic ac benignissimo rerum Arbitro gratias habemus atq̄ve agimus maximas, quòd pro ineffabili bonitate præter scintillulas naturales per creationem concessas, pleniori etiam ac planè salutari agnitione sui nos imbuere, haud dedignatus fuerit, eidem nos commendamus devotè, calidissimis precibus poscentes supplices, ut divinissimò hòc jubare porrò collustret mentes nostras, quò verâ pietate fideq̄ve sincerâ colamus eum, usq̄ve dum hâc vitâ defuncti admittamur in consortium cœlestis gloriæ, ubi videbimus â facie ad faciem. Faxit hoc ter Optimus ter maximus, cui laus, honos & gloria in secula seculorum,

AMEN!



Coll. diss. A. 5, misc. 15